









Pr. g. J. num. 11.  
~~43.~~

1666, 1

6

17  
FRIDERICI HORTLEDERI,

Consilarii aulae Vinariensis Saxonicae

De vero sensu

L. NON OMNIUM. XX. D.

de LL. ejusq; genuinis  
exemplis,

SINGULARIS DISPUTATIO;

Gravissimo Ictorum antecessorum, Dn.

DOMINICO ARMMÆO &c.

hereditario in Niedristen Lobdaburgk etc. nunc ad beatio-

res recepto, olim Succenturiante, in nutrice legum Sa-

lana hac Novemb. die VIII Anno M.DC.VI. propa-

lam habita. Et denuò exarsa, pauculis autoris

ipsius curâ alterâ immutatis,

JENÆ

Typis LOBENSTEINIANIS, Mensis ejusdem die eodem,

Anno reparatae salutis aeternae, M.DC. XXXVII.





Amplissimis Consultissimisq; Viris, principalis aula Saxonica,  
qua est Vinaria, proceribus,

Dn. DANIELI SCHNEIDERO Jcto, & Con-  
siliario primario:

NEC NON

Dn. AARONI Backstroh, aerarii praefectio lögè prudētiss.  
Dominis, Patronis, & commendatoribus maximis,

S. atq; observantiam.

Plin. lib. 7.  
epist. 17.

Lib. 5. epist.  
ult.

Plin. lib. 8.  
epist. 12.

Home. Iliad.  
6. Const. de  
rat. & me-  
thod. jur.  
doc. 5. fin.  
junct. Plin.  
lib. 5. epist. 2

Lib. 6. epist.  
23.


**S**t profecto magnum, amplissimi, consultissimiq; & spectabiles vi-  
ri, Domini, Patroni, fautores & commendatores, omni studio-  
rum genere colendi, dare aliquid in manus hominum. Quam  
varia enim (Deus immortalis!) judicia hominum? Variae senten-  
tia? De Nepote, praetore quodam, scribit junior Plinius, cum aliquando &  
venire ad vocationes, & emi, edicto publico vetuisset, tota urbe, nunc lauda-  
ri illud, nunc culpari captum. Dicentibus aliis: invenimus, qui curva corri-  
geret. Quid? ante hunc praetores non fuerunt? quis vero hic, qui emendet publicos  
mores? Aliis contra: rotissimè fecit, jura cognovit, & cetera legit, reprimit fœdissi-  
mas factiones, rem pulcherrimam turpissimè venire non patitur & c. Sed, quod  
praetori huic contigit, id nullis non, qui in publicum emittunt aliquid, janu-  
amq; famae patefaciunt, usu venire videmus. Ut supervacaneum sit, cum  
quotidianis abundemus, vetera repetere.

Verum, magnum illud ac periculosum esse, existiment, quicumq; volent.  
Mihicertè, lögè satius visum est, hanc ceteriudiciorum aleam subire, quam cõ-  
mittere, ut primariorum virorum in me voluntates, vel munusculo nullo  
remuneratus, vel de alieno duntaxat, liberalis fuisse videar. Quid enim tur-  
pius, quam in eos, qui studia colunt, studiosos amant, fovent, provehunt, multo-  
rumq; portus, sinus, praemium sunt, exemplum omnium, nihil rursus studii, o-  
peræ, officii, amoris, honoris, cultus, conferre, ac ne Diomedis quidem illa, in  
permutandis muneribus solertiã imitari? Aut, quid magis alienum à Justitia,  
quam eripere aliis, quod aliis largiãre, quod faciunt tamen multi, (verbis Ci-  
ceronis, offic. lib. 1.) & quidem splendoris ac gloria, perquam cupidi? Hiscè igi-  
tur de causis, amplissimi, consultissimiq; viri, hoc quicquid est, quod cõscri-  
psi, non aliorum tantummodo adminiculis adjutus, sed Marte quoq; meo, in lucem  
emitto, vobis do, & ne quid deesse videatur, dico, addico. Etiam atq; etiã ro-  
gans, ut quam in benè merendo, sandè in eo quaq; quod rependitur, accipiẽ-  
do, gratiã mihi prestare velitis, & me, atq; studia mea, vobis cõmendata ha-  
bere. Verissimè n. Plinius: nulli tam clarum statim ingenium esse ait, ut emer-  
gere possit, nisi ei materia, occasio, FAUTOR etiam, COMMENDATORQ;  
contingat. Ambo feliciter agatis! Ambo principatui (id quod maximã cõ no-  
minis vestri existimatione facitis: rectè utiliterq; cõsulatis! Scribebam Jenæ  
Austro-Turingorum, Novemb, die 1. Anno à Servatore nato 1606.

Observantissimus dignitatum  
vestrarum

FRID. HORTLEDERVS.





Quod Deo gloriosum: Juris scientiæ utile: Et  
Reipub. in partibus cupidæ LL. juventuti  
credendis, salutare sit! Incipit:

POSITIO I.

**T**ribonianus, cùm titulum de legibus  
Senatusq; Consultis & longa consuetu-  
dine contexeret, omne jus ita distribue-  
bat, ut assereret, id aut CONSENSU fa-  
ctum, aut constitutum NECESSITATE,  
aut firmatum CONSUETUDINE.

II.

Per omne verò jus, an omnes omninò juris species  
intellegerit cum Modestino Tribonianus? non est una Cu-  
jacji atq; Oldendorpii sententia. Nobis sic videtur: Tri-  
bonianum duntaxat eas, quibus de in eo Digestorum titu-  
lo, à capite ad calcem usq; actum fuerat, intellexisse.

III.

Earum ergo quedam, CONSENSU facta sunt, sed  
verbis expresso, monente Alberico Gentili, Corasio, ac Ho-  
tomanno. Ut LEGES. Nimirum, cùm Democratiâ  
vigente, vel populus Romanus centuriatim, vel plebs tri-  
butim, quod vellet, juberet. Et hinc de LL. solis, cùm  
hocce in titulo Tribonianus egerit, extremum vexatissimæ  
legum definitionis in l. 1. hic, aliter forsitan, atq; à For-  
catulo, Gæddeo, Pruckmanno, factum videmus, accipien-  
dum erit, & vindicandus à Bodino Tribonianus, quòd ti-  
tulum



ulum D. de Constitutionibus principum, à titulo de  
legib. secreverit.

IV.

Quin & CONSENSU, facta Senatus consulta. Qua  
Pomponius noster, jus à Senatu solo constitutum esse  
dicit, sine lege: ubi Gothofredus male: sine plebe: ten-  
tat supponere. Quibus consecraria sunt duo. Unum: Per-  
peram à Cujacio & Wesenbecio, Senatus consulta, juri per  
necessitatem constituto annumerata. Alterum: Cum  
Legibus Senatus consulta non confundenda. In quo Ma-  
rium Salomonium sequimur, valere jussis, Zasio, Conna-  
no, Hotomanno.

V.

Planè, regimentis Reipub. & ad Impp. perpetuos  
translatis, Senatus jus commune quoddam facere potuit,  
(ut rectè Oldendorpius advertit) principe licèt non in-  
terveniente: Donec Leo amplissimi Ordinis autorita-  
tem, prædecessorum suorum, ex Augusti præscripto mini-  
mè imperantium, arcanis domus atq; dominationis, & do-  
mesticis aulicisq; iis demq; per variis consiliis, quin imò ne-  
fariorum principum cade ac tyrannide, jam dudum sup-  
plantatam, interpolatam, subversam, interceptam, maje-  
stati Imperatorie perpetuam manciparet, & cum ea simul  
mentem, rationem, intelligentiam Reipub. beatitudinem,  
Imperii, atq; Imperatorum ipsorum gloriam, funditus tol-  
leret. Non itaq; debuit Bodinus, ex jure Senatus in l. 9.  
hic, quandam inter litigantes sententiam facere. Male  
quoq; Pacius eandem l. ad antiqua duntaxat Reipub. tem-  
pora retraxit.

VI.

Ceterùm hoc imprimis agunt legum conditores ple-  
riq; omnes, ut sive imperet jus, sive vetet, sive permit-  
tat,



rat, siue puniat, commune sit praeceptum, in omnes, qui in  
Republ. sunt, non in personas singulas, casus vè semel atq;  
iterùm incidentes constitutum. Idquè Tribonianus decem  
ll. prioribus, dicti tituli de ll. luculenter ostendit.

VII.

Verùm, cum & hac legum scribendarum ratio, quan-  
tumvis omnium saluberrima ac perfectissima, duob; sem-  
per vitiis laboret, quorum alterum deficiendo deserit, alte-  
rum excedendo offendit aequitatem, ideò in viti adiguntur  
nonnunquam legislatores, ut singulis in casibus, aut sup-  
pleant leges ita scriptas, aut etiam emendent. Et hinc jus  
illud est, quod in tripertita divisione Triboniana à, NECES-  
SITATE constitutum dicitur. Quamvis aliud Cujacius  
velit, titubetq; Oldendorpius.

VIII.

Quare, explicito jure per consensum factò, ex templo  
de parte prima juris per necessitatem constituti, or-  
dini suo convenienter, incipit Tribonianus agere, in l. 10.  
11. 12. 13. de ll. Ubi illud in questionem venit: Sitne pruden-  
tum etiam, jus civile per interpretationem, ad similia por-  
rigere? Et esse, post Bartolum Job. Ramus benè adver-  
tit, ut perperam sit aliud, à Mureto & Hotomanno alicu-  
bi, sub Scaevola nomine, probatum.

IX.

Pertinet huc quoq; non inelegans disputatio, propo-  
sita à Nevizano, lepido doctore: Rectène & ex usu Juris-  
prudentia, veteres juris interpretes eum in legibus enar-  
randis modum secuti sint, ut regulis fabrefactis, mox am-  
pliationes (quas vocant:) limitationesq; seu fallentias  
subjecerint? Et magis est, ut utilem eum morem, & in u-  
sum revocandum statuamus, hac tamen lege, ut circum-  
spectè agatur, & in ampliando, limitandoq; aliquis tenea-



etur modus. Nam & Duarenus, Gifanius, Busius, ac Thomingius & c. nihil nisi abusum habent, quod vituperent.

X.

Fit autem porrectio legum sive ampliatio, cum lex finem juris, ab auxilio inopem relinquit. Id quod, si perspicuam ac planam veteris prudentia simplicitatem secuti, tenemus, possumus, qua multis regulis incertis, Donellus, Alb. Bolognetus, Busius, Steph. de Pœdericis, quinimò spaciosi quidam voluminibus, docere conati sunt, & certius tradere, & succinctius.

XI.

Finem juris cum dico, tum summum illud (post Deum immortalem:) principium, jurisq; fundamentum intelligo, quod Tullius cum Juris prudentia veteri, multò, quam ex interpretibus nostris pleriq;, & vidit acutiùs, & explicuit luculentius, & subsequutus est studiosius. De eoq;, cum mihi rectissimè dixisse visus sit, gravissimus ac prudentissimus scriptor, Johan. Oldendorpius, quòd illud qui ignorat, et TOTUM JUS, & SE IPSUM ignoret: miror in docenda re, scitu tam necessaria, Interpretes adeò variare, ac per tenebricosos & lubricos circuitus, discentium animos ducere. Hoc verò etiam indignor, P. Fabrum non satis aptè, cum justitia, cum temperantia, cum verecundia, eundem conjungi, putare. Quod & putàrat olim Laetantius.

XII.

At ubi finis juris verborum amplitudine nimia offenditur, tum ad emendatricem, sive alteram partem juris per necessitatem constituti confugiendum esse, docet in l. 14. ac septendecim sequentibus, Tribonianus, cujus vestigiis si insistimus, à verò, quem querimus, L. non omnium. sensu, aberrare (opinor) haud poterimus.

XIII. Di-



XIII.

Dicit enim Tribonianus, hanc partem introduci contra rationem juris, tenoremvè rationis. l. 14. 15. 16. dell. Hoc verbum: contra: repudiat A Massa, Hotomanni, ac Mattheacii argutiolam, quâ sibi noviter videntur constituere, exceptionem non vitare regulam, sed limitare, finire, circumscribere.

XIV.

Rationem autem, quomodo accipimus? Sanè Baldus per rationem, certam illam veritatis demonstrationem intelligi vult, quam vulgò rationem quoque concludentem, animamq; legis vocare consueverunt. Accursius contra, regulam juris potius, aut jus commune, jus generale. Cujus interpretationem Paulus Castrensis, ac pleriq; omnes Dd. probant. Et nos sequimur.

XV.

Et hanc juris rationem, quoniam interdum juris finem offendit, etiam strictam rationem prudentes vocare solent, & stricti juris rationem, & meram rationem, & rationem subtilem, & disputandi rationem. Quo refero illud Juliani, dicentis: Multa jure civili, contra rationem disputandi, pro utilitate communi recepta. Sepositâ sententia hominum doctorum, qui de Logicis conclusionibus sensisse Julianum asserunt. Quamvis alioqui erronea non sit, horundem opinio.

XVI.

Est & ubi hac juris ratio, simpliciter vocetur, ratio. Argumento sit, quod Favolenus ait: Labeonis & Ofilii sententia, rationem habet, sed hoc jure utimur &c. Quò textu abutuntur quidam, dum usum forenses, vera etiam rationi prevaluisse, inde probare sat agunt. Abutitur quoque Perrenonius cum ait, à Labeonis innovato-



vatoris opinionibus, quamlibet veris, ob veterum nudam auctoritatem, prudentes saepenumero recessisse.

XVII.

Nunc, à quibus introducatur, videamus. Populone? an Principe? Senatu? Magistratibus? Jurisconsultis? Et puto, omnibus: aliter atq; Donello, ac Mureto d. l. 16. de ll placuit interpretari. Caterum quod novissime Gifanius scripsit: hodiè, non JCtis modò, sed nec Electoribus Imperii licere à regulis juris recedere: id si quis falsum putat, fallitur turpissime. Quamvis enim sordidares, & invenusta est.

XVIII.

De praetoribus tamen dubitari solet, jurenè Magistratus sui, an verò speciali aliquà concessione, sive ea per legem Latoriam, sive Lectoriam, sive Plectoriam, aut Praetoriam, illis data fuerit, auctoritatem supplendi, atq; corrigendi juris communis, habuerint? Bodinus, Busius, aliusq; vir non incelebris, speciali beneficiò hoc eos habuisse, scribunt. Sed est à Cujacio meritò, derisa hac sententia.

XIX.

Verum introductionis causam, si quis, cum Baldo, nudà tantum istà constituentium auctoritate niti, sibi persuadere volet, ne, ille rectè secum vià rem non reputabit. Nam gravem aliquam & magnam subesse oportere, praeterquam quod est à Paulo Castrense, Ant. Massa, Oldendorpio, benè observatum, etiam nomina bujus juris liquido ostendunt. Sic enim vocari solet: Singulare jus, utilius, benignius, æquius, melius, humanius. Ac si qua sunt id genus alia.

XX.

Indeq; ratio petenda est, connexa l. 17. 18. & 19. de ll. cum l. 14. 15. 16. eod. Etenim, quandocunq; verba latius  
equò



quod patent, tum hocce jus, benignè scriptum interpretan-  
do, vim ac potestatem legum, sive voluntatem, conservare  
solet. Voluntatem autem colligit ex eo, (hæret hic, cum  
plerisq; Busius :) quod lex vitio caret. Quod vitio caret,  
ex eo, quod juris fini respondet; quem latè patentibus ver-  
bis postponi, neque juris ratio ulla, neq; æquitatis pa-  
ritur benignitas, quæ est aureola ac propè divina Mode-  
stini nostri sententia, ab interpretibus pressa nimis & co-  
acta. Merito itaq; Paulus de regula scribens, eam per-  
dere officium suum, (ait,) simul atq; vitiata est, in ali-  
quo. Perdere, (inquam) non: prodere. Nam, qui li-  
brarj errorem incusat politissimus Freberus, prodit suum,

XXI.

Acqui introductum, non producitur ad consequen-  
tias. Rationem queris? Eam tibi cum ipsa ejus juris na-  
tura, tum Justinianus ac Ehemius doctè explicant. Bal-  
dus verò pessimè, eumq; secutus Steph. de Phædericis, dum  
ideò ide venire putârunt, quod cavendum sit, ne dato ir-  
rationabili unò, inconvenientia sequantur infinita.

XXII.

Sed quorsum hæc? Horsum, ut tandem vel ex ipso or-  
dine tituli delegibus, singularumq; legum connexione ad-  
mirabili, intelligamus, quamobrem non omnium, quæ  
à majoribus constituta sunt, rationem reddi posse,  
Julianus scripserit? Ideò nimirum, quoniam contra  
rationem recepta sunt quàm plurima. Quapropter?  
an ut valeat illud:

Sic volo, sic jubeo, stet pro ratione voluntas?  
Deus verò meliora! Sed ob aliquam singularem utilita-  
tem, benignitatem, æquitatem, humanitatem, sum-  
mam (quam Papinianus vocat) optimamq; rationem.

B

Uc



Ute, si quis contraria non esse dixerit: non omnium rationem reddi posse: & tamen eorum, quorum ratio reddi non potest, optimam extare atq; dari posse rationem: forsitan non aberraverit.

XXIII.

Et ex hac Juliani sententia colligebat Neratius, ideò, (quoniam reddi non possunt,) nec rationes, eorum, quæ ita constituuntur, inquiri oportere. Rationem subdit: Alioquin (inquiens) ex his, quæ certa sunt, subvertentur multa. Quæ, & cum nostra consentit, & quo sensu Julianus illud: non posse; usurpaverit, haud obscure innuit ac ostendit.

XXIV.

Pleni sunt exemplorum juris nostri civilis libri, quibus l. non omnium. facem afferre possemus. Sed maxime illustre illud, quod subijciebat, cum suum, de jure contra rationem recepto, tractatum clauderet Tribonianus: Princeps legibus est solutus. Hoc enim, quamvis contra rationem receptum sit, ob fortissimam tamen, saluberrimamq; rationem introductum, in facili est planum facere, dummodo fontes sequamur, insuper habitis interpretationum lacunis.

XXV.

Ait Ulpianus: Principem per privilegium legibus solutum. Idemq; asseverat Justinianus, & scite explicat Oldendorpius, Anastasiusq; Germonius. Hoc privilegii verbum efflagitat eam, ad quam digitum intendimus, rationem, eaq; subsistente subsistit, cadente cadit, deficitq; privilegium. Quemadmodum hoc de eadem, quo de agimus, Principis privilegio, duobus insignibus in locis differens Ulpianus ipse, respondit, ut à Job. Calvino (aliàs Kahl)



Rahl) 7 Cro, adulationis, pessimo exemplo in simulari, cor-  
re non meruerit.

XXVI.

Non igitur mirum, si quandoq; Principes legibus se  
reneri nolunt, ut in specie l. 14. ff. de mauumiss. l. ult.  
C. de quadr. præscript. l. 32. C. de donat. int. vir. ac si-  
milibus, qua L. 31. de ll. genuina, sed non sola exempla  
sunt, monente Ang. Mattheacio: minimè verò, qua inde  
usq; ex Persia quidam, vel Græcia, aut spurca & incesta li-  
bidinum Schola, adferunt. Ratio enim est, quia in locis  
modò dictis obtinet adhuc, duratq; eorum privilegium, in-  
tantum, ut Calvinus justam causam, cur succensere Prin-  
cipi velit, non habeat. In quam sententiam & dulcissimus  
Scipio Gentilis alicubi inclinavit.

XXVII.

Sic, non etiam mirum, si per contrarium, Principes  
se quandoq; legibus alligatos volunt, ut in specie l. 3. C. de  
testam. l. 4. C. ad L. Falcid. & aliis. Ratio enim est, quia  
in his omnib; expirat, cessatq; eorum privilegium. Quam,  
qui non advertunt, inter bonos malosq; Principes; neces-  
sitate & honestate; vim coactivam & directivam; ca-  
ducarias leges, & non caducarias; distinguere maluerunt.

XXVIII.

Atq; iisdem principijs nostris, consequens & illud est,  
ut populus per legem Regiam (à translato Reipubl. regi-  
mine sic dictam:) omni se imperio nequaquam spoliaret,  
sed potius, ut aliquo casu id retinuerit. Item, ut Princeps  
publicum commodum, atq; haud scio, an non etiam priva-  
tum, postputare præ suo commodo non possit. Tum, ut ne-  
mini homini, rem vel jus quasitum auferre, nisi idem prin-  
cipium aliud suaserit. Deniq; (irretitus est & hic Calvi-  
nus:)



mus: ) ut nec legem, nisi rectam, justamq; constituere. Secundum quod Bartolus verissime scripsit: Principem non posse facere unam legem, quæ contineret unum inhonestum vel injustum.

XXIX.

Sed de usu questionis hujus quid dicemus? Imperatorem nostrum (cui VITA ET VICTORIA) hodie legibus solutum? nec ne? Negant solutum Cujacius ET Calvinus, quorum sententia an usque quaq; vera sit, subsisto. Illud tamen ab Oldendorpio rectè notatum lego, recognoscere Imperatorem majestatem ac præminentiam suam, à populo Germanico. Indequè dimanasse illam, literis diplomatibusq; Imperatoris tritam loquendi formulam: Nostris & Imperii subditis: Unsern vnd des Reichs lieben getrewen. Nunc ad illud exemplum veniamus.

XXX.

Si commodati actio cum Aquilia concurrat, ET commodati fuerit actum prius, Ulpianus æquissimum esse dicit, ut commodati agendo Aquiliæ remittat: Videri tamen rationem habere, si quis, in superfluum, Aquiliæ remittat: Unde acriter quasitum, nec dum satis definitum est, priorè ne, an posteriorem sententiam, Ulpianus probaverit? Fluctuant post glossam Bartolus, Paulusq; Castrensis. Hic tamen in priorè, procliviorè fuisse Ulpianum, scribit. Cujacius contra, in posteriorem; cum Cabotio, ac recentioribus (quod sciam) omnibus. Quid ergò? Mea sic ratio est, fortissime defendi posse id, quod Castrensis voluit. Sed rationibus novis. Adeoq; illum Ulpiani locum, jus quoddam contra rationem, propter aliquam æquitatem receptum, continere, legiq; non omnium, quasi lumen de lumine suo accendere.

XXXI.



## XXXI.

Cui consentaneum est, omnino mendosam esse l. 34. §. ult. de O. & A. scripturam, & pro: sed verius est remanere: adiecta negatione: sed verius est NON remanere: legendum esse. Sic, quomodo in bene veteri Codice manuscripto, perspicue extare, contestari possumus, quem beneficio Clarissimi Consultissimiq; viri, Val. Guil. Forsteri, Domini & affinis amicissimi, inspeximus. Quomodo etiam in aliis Codicibus se reperisse, testatur expresse, prater Accursium, Bartolus, criticus antiquus, cum ait de lectione affirmante: Sed ista litera non est bona, nec communis. Qui potes hoc affirmare, lucerna juris, Bartole? Quoniam patet (inquit) EX LIBRIS ANTIQUIS, quos AD HOC sum PERSCRUTATUS.

## XXXII.

Quod si quis verò, propius à Florentina recedere velit: sed verius est REMOVERI: ellipticòs substituere poterit, eodem planè sensu: ut Paulus, ideò Aquilia non remanere velit, quòd commodati iudicio per actò, exceptione rei iudicata removeatur. Verùm à Cujacio & Roberto hìc cavendum puto, ut Medicis imperitis. Alter enim medicinam adhibet, quà parte locus affectus non est. Alter ne affectum quidem esse videt.

## XXXIII.

Hiscè verò duobus exemplis, sunt & annumeranda illa: RATIO facit, ut à duobus petam hereditatem, sed Pegasi sententia UTILIOR est. RATIO facit, ut duobus teneatur, sed teneri INIQUUM: Labeonis sententia RATIONEM habet, sed HOC JURE utimur. Subtili RATIONE non fiet, BENIGNIUS tamen dicetur. Stricta RATIONE non liberantur, sed UTI-



LIUS est; & id genus alia trecenta. Ea q̄ ( ut puto ) est,  
l. non omnium. D. de ll. vera sententia.

XXXIX.

Quae ceteroquin viri docti de mente l. non omni-  
um, differuerunt, parum mihi liquet, an probare debea-  
mus. Nam, ut glossarum quasdam opiniones mittam, quae  
ipsa temporis diuturnitate extabuerunt, vulgaris persua-  
sio est, ( sive eam primus attulerit, ut sibi videtur, Zasi-  
us; sive ut Menochio, Lancellorus Politus: ) esse quidem  
legum omnium rationes. Idq̄ nec Julianum negare.  
Sed non continuo ab interpretibus, omnibus, aliquibusve,  
reddi posse. Quae licet increverit atq̄, invaluerit mirifice,  
nobis tamen vel idcirco proba non videtur, quod est à Ju-  
liani mente, Neratii ratione, multis modis aliena.

XXXV.

Illud verò non addam: iisque, qui notitiam ju-  
ris profitentur, minus honorifica. Sive tandem sua,  
sive legum inscitia, asylum hic statutum credant. Quid  
enim opus est argumentis? Duarenus ipse, atq̄ Alberi-  
cus Gentilis, opinionis istius assertores non leves, Profes-  
sorem quendam Tholosanum nobis propinant ad deriden-  
dum, quod de re non adeò liquidà, rogatus aliquando sen-  
tentiam, sua pariter, legumq̄ ( ut opinabatur ) inscitia,  
in l. non omnium. perfugium quaesierit. Pungit etiam,  
eandem ob causam, Jason, Bartolum, ac: MISERABILE  
ESSE ( scribit ) dicere, in merè positivis, voluntatem  
pro ratione sufficere. Verum adhuc MISERABILIS,  
non omnium, quae in jure sunt, rationem reddi pos-  
se, prout per l. non omnium. dixerit Bartolus. Ad  
haec, Matthaeus Gribaldus, miserrimi homines inge-  
nii, vocare non veretur eos, qui rationum ignorantiam  
ad



ad l. non omnium. referre consueverunt. Atq; Christ.  
Ebe mius l. non omnium. ad istum modum intellectam  
appellat: firmissimum IGNORANTIE PRÆSIDIUM.

XXXVI.

Fam & in sententiâ l. 21. dell. explanandâ, non  
minor erratio est. Quod enim rationes eorum, quæ  
ita constituuntur, inquiri non oportere. Neratius  
ait, id ex istius opinionis sectatoribus quidam sic exaudi-  
unt: scilicet, nimis sagaciter, nimis curiosè. Adeò  
ut apud Vigelium ea res in regulam abierit. Quidam  
rursus, non nisi de obscuris eum sensisse scribunt. Atq;  
iterùm quidam, ad inquirentium intentionem pravam,  
eum respexisse. Verùm nos è contrario, nihil horum Ne  
ratio in mentem venisse credimus, eâque lege, non tam  
ipsam rationum investigationem, (utpote summoperè  
necessariam,) quàm investigatarum redditionem, inter-  
dictam. In quo & Baldus nobiscum facit. Cui assensus  
est præter P. Castrensem, Uldalricus Zasius.

XXXVII.

Hiscè igitur subductis, perspicuum est, mirabilem  
(quam Jason vocabat) l. prospexit. §. 2. D. qui & à qui-  
bus manum. parùm appositè ad illuminandum eum l.  
non omnium. sensum, allatam esse; quamvis verissimum  
sit, veram rationem ejus, ab oppidò paucis cognitam atq;  
perspectam. Sed, ut res melius intelligatur, opera pretium  
est, distinctim aliquid, articulateq; hac de re proponere.

XXXVIII.

Scribit Ulpianus: Perquam durum esse, b. e. (ali-  
ter atq; Salomoni placuit ac Bodino:) iniquum, inju-  
stumq;, ut ne eos quidem servos, quos in agris, vel in pro-  
vinciis habuit mulier adultera, manumittere vel alienere  
pos-



possit. Cur perquam durum? Claudicant hic Jasonis, Verii, Alciati, Pruckmanni, aliorumque rationes: Igitur Donelli sententia aliquantulum immutata, has ferè, duritiei ejus causas, dari posse putamus. 1. Quod servorum promiscuè omnium libertas inhumaniter impeditur, si postea ad questionem aliqui duntaxat vocantur. 2. Quod crudeliter, si inscily, equè atq; scily, innocentes atq; nocentes vocantur. 3. Quod domine adhuc, eripitur libera rerum suarum administratio & alienatio.

XXXIX.

Quid ergo? An ideò in Jacobi de Arena sententiam imus, ac d. l. prospexit. spiritu, ratione vè carere dicimus? Aut concludimus cum Bern. Benivolentio, eò, quòd ratione careat, taxantis Ulpiani ista verba esse, duritiemque istam fugere jubentis? Minimè verò. Quin potius eam legem, quantumvis duri quid contineat, decidendi tamen rationem habere affirmamus, cum Baldo, Fasone, Zasio, Pruckmanno, & alijs. Maximam cum Crotto. Summam, cum Menochio, Æquissimam, cum Verio ac Forcatulo. Et retinendam igitur, atq; ad usum Reipubl. nostræ coaptandam. Sicut & in criminibus ambiguè hodiè fieri, scribit expressè Zasius.

XL.

Sed quenàm tandem illa decidendi ratio sit, si rogites? hoc opus, hic labor est. Primus omnium Jason, Baldo confutatò, rationes eas prodidit, quæ in vulgus nota, atq; deinceps interpolatæ sunt, ab Alciato & Corasio, Jasonis furunculis: Has, magno consensu probat communis Dd. Schola. Reprobat Bern. Benivolentius, & in medio relinquit Guil. Onciacus. Mibi quoque, cum satis infirmæ per se, tum etiam neutiquam sufficientes esse videntur.

XLI. Quo



**XL I.**

Quocirca contemplandum erit, an non rectius dispectioni huic fundamentum illud jecerit aliquis, ut asserat: In jure civili gradus quosdam justitiae esse constituendos, quos inconsideratè qui confundere volent, ex jure optimo (verba sunt Oldendorpii eximii) summam absurdissimamq; facient injuriam. Quemadmodum nec Augustinus ignoravit, quem hujus positionis, mirum quàm venustum comprobatores habemus, de Civitate Dei lib. 15. c. 22.

**XL II.**

Planè, hosce gradus confundunt, qui nemini invito rem suam extorquere licere ajunt, etiamsi publica urgeat necessitas, ac justum refundatur pretium. Capitali profectò errore, & ad tollendas definitiones optimas spectante, quas fundamento contrario praeclarè jacto, Mod. Pistoris in consiliis, & consultissimus vir, Joh. Köppen in decisionibus, superstruxerunt.

**XL III.**

Hosce gradus confundunt, qui abundè justè se fecisse putant, si ex propositis duobus honestis, id quod minùs honestum est; aut ex duobus justis, id quod minùs justum est, aut ex duobus aequis, id quod minùs aequum est; aut denique ex utilibus duobus, id quod minùs utile est, elegerint.

**XL IV.**

Et hosce gradus etiam confundunt, qui lege prospexit &c. justius aliquid, aequius vè constitui posse autumant. Non enim vident id, quod hujus rei basis, ac fundamentum est: Sine captione constitui aliud non posse. Deinde, hoc quoq; non vident: Ubi sine captione constitui aliud non

C

po-



potest, ibi gradus justitiæ postulare, ut sequare id, quod  
habet iniquitatis minimum. Tum: habere id iniquita-  
tis minimum, quod rebus ipsis sic dictantibus, majori, vel  
plurium, vel publica omnium utilitati procuranda, consti-  
tutum. Post, quod ita constitutum, adeo non iniquum,  
durumve dici posse, ut, aliud si eligere velis, non justum,  
sed injustum; non æquum, sed iniquum elegisse videare.  
Postremo, id quoque non vident, l. prospexit &c. cum aliis  
sexcentis, in sententia planè convenire. Peccant igitur  
(pace virorum doctissimorum dixerim) gravi-  
ter, ac ne intelligendo faciunt, parum ut intelli-  
gant.

XLV.

Attamen ex me quares: Quid sibi ergo volue-  
rit, cum hiscè solis duritiem legis reselleret Ulpianus? Sed  
ita lex scripta est. Durum profectò telum, minimèque  
contemnendum. Sed cui ego duplex habeo paratum scu-  
tum. Unum, probabilem admodum ac tantum non ne-  
cessariam Marii Salomonii conjecturam. Alterum:  
Juris autorum morem, quò, cum adducti dicunt: Quia  
lex 12. tabb. ita scripta est: Quia senatus ita censuit:  
Quia ita constitutum, rescriptum, responsum, rece-  
ptum est, &c. non tam nudam horum omnium auctorita-  
tem, quam sub hac latentem, rationem justissimam, urgere  
consueverunt.

XLVI.

Quapropter, hæc si vera sunt, tollantur etiam ea,  
quæ ex postremis l. prospexit &c. verbis nostri quoque  
fori insignes Practici, in hominum necem aut extruxe-  
runt, aut confirmarunt, axiomata: Legi sive æquæ, sive  
iniquæ, tamen esse parendum. Ex vitio legis, sen-  
ten-



tentiam ejus, æquè colligi posse. Sacrilegium esse, in rationes legū statutorum vè, curiosiùs inquirere. Voluntatē legislatoris pro ratione sufficere. Judices etiā secundū manifestam iniquitatem, scriptō palām comprehensam, judicare, Jctos respondere, subditos verò obedire atque expectare teneri, quoad per Principem decernatur aliud. *Ac si qua horum sunt similia. Enim verò, quantò meliùs, egregius Freberus? Si ita scripta lex est, (inquit) scripta sit illis, non nobis. Romanis, non Germanis. Paganis, non Christianis. Est enim illa non ars æqui & boni, sed subtilis & in artem redacta calliditas quædam & improbitas, cò periculosior, quò tectior, & sub honesti nomine tutior.*

XLVII.

*Ex quo autem fundamento l. prospexit, ad illustrandam superscriptam l. non omnium &c. interpretationem vulgatam, poni posse nego, ex eodem nego posse poni l. 9. §. 1. de relig. & sumt. fun. Atque iterūm ex eodem, l. 27. §. 1. D. ad L. Aquil. quam adjecit Cujacius de nuò. Notat & illud contra Cujacium Alb. Gentilis, Gajum ipsum, quòd inter quosdam constare videbatur, in specie d. l. 9. refutasse solidè, minimeq; ei calculum suum addidisse. Quæ sententia vera est.*

XLIX.

*Ceterūm, quod Seneca ait, epist. 94. Valere Jctorum responsa, etiamsi non reddatur ratio: nihil Cujaci sententiam juvat. Sed ad ejusmodi pressa & concisa responsa pertinet, cujusmodi sunt pragmaticorum Græculorum, apud Comicum; Scævola pleraq; apud Justinianum;*



num; apud nos, Scabinorum nostratum. Quin & in hiscè Scabinorum responsis, ad huc aliquem crediderim locum relictum ei, quod de veterum Justinianus scribit; Non licuisse judici ab his recedere. Sed de hac quidem interpretatione, nobis satis differuisse videmur.

XLIX.

Sequitur Johannis glossatoris interpretatio, qui eorum rationem reddi non posse dicebat, quæ in meris temporum, personarum, rerum vè numeris, aut judicis arbitrio, consistunt. Speciosè quidem ille, plausibiliterq;. Ad eò, ut nobiles in jure docendo viros, Oldendorpium, Ant. Fabr. Petr. Heigium &c. pellegerit ad credendum. Sed quàm parùm accommodatè, poterit facillimè, si quis advertere volet, deprehendere.

L.

Jam & Alber. Gentilis, videndum esse scribit, ne ad jus singulare Julianus forsitan respexerit. In quo, cum vir omni doctrinà eruditus, minimè gentium aberret, mox tamen, sibi magis placere ait, si quis de regulis, summisq; definitionibus aut principiis juris, Julianum interpretari velit. Quod non puto admittendum, quamvis idem Christ. Ehemio visum sit, atq; Henrico à Bùla, nobili & intelligenti doctori.

LI.

Item, nec illud puto admittendum, quod amplius Albericus dicere tentat, contra subtilem validiorem rationem, jus nonnunquam recipi, eoq; l. non omnium, referendam videri. Nam & ipsi, quos Albericus producit, juris nostri loci, de hujusmodi validioribus subtilitatibus  
non



non loquuntur. Sed de istis, quibus Baldum quoque fe-  
runt, Jurisprudentiam ex majestate sua, in argutias in-  
terdum angustiasque, declinare solitum, & Fulgosium  
utrumque, & Fr. Aretinum. Quibusque merito irasceba-  
tur Jason, cum Scholarem quendam de hujus Aretini  
scriptis debortaturus: Heus o amice, (diceret) hæ sub-  
tilitates Aretini, tibi utiles sunt, dum in tyrocinio le-  
gum versaris. Acuunt enim ingenium. Sed quan-  
do Doctor, versaberis in praxi, tu alias sequere, opi-  
niones, magis communes, solidioreque jurispruden-  
tiâ corroboratas, &c. Nevizano referente, Angeloque  
Matthæacio.

### LII.

At, si qua subtiliter rimatur verum, disputatio, aut  
validioribus pugnat argumentis, tantum abesse, ut in jure  
reprobetur, Maranta, P. Rebuffus, Mar. Socinus, alij,  
jam observârunt, ut probetur etiam summopere, laudatis  
subtilitatis sue inventoribus. Quid tamen, si nova fuerit,  
atque à nemine animadversa? Et verum puto, tanti non  
fuisse juris Auctoribus sententiam antiquiorem ullam, ut  
non longè fuerit antiquior, (si qua modò dari potuit) veri-  
tatis amica novitas.

### LIII.

Ex quo liquet, quid de moribus nostrum temporum  
existimandum, quibus ita comparatum est, teste Hartm.  
Pistoris, ut eorum, que contra receptas Dd. sententias sub-  
tiliter asseruntur, exiguus esse soleat in foro usus. Quin-  
imò, statim atque opinio aliqua dicitur in jure verior, velle  
hinc audacter quosdam colligere, tradit Nevizanus: Ergo

C 3 con-



contraria servatur in practica. Liqueat & istud, quàm rectè præstantissimus vir, Dan. Møllerus, huic mori aliquem ex jure colorem quaesierit. Ac deniq; liqueat, si, quid fieri debeat, non quid Romæ fiat, intuemur, judicem, secundùm novam quoq; & subtilem unius opinionem dummodò veriore, judicare posse, aliter atq; Jasoni persuasum fuit. A quo & Felinus divertit, & Claudius Sefellius, & Wesenbecius, & Petr. Lorichius. Quibus addatur famosus utriusq; juris Monarcha, Matth de Matthesianis, qui secundùm novam ac subtilem opinionem, in Italia & consuli & practitari vidit.

LIV.

Est eorum quoq; minuenda hinc opinio, qui derisos ferunt cum subtilitatibus suis Jctos, à Seneca, & acutas inter ineptias relatam eorum distinctionem, quâ aliud hereditatem esse dicunt, aliud quod in hereditate continetur. Quid enim dicitis, perspicacissimi viri? Cùm non deriserit tamen, sed laudârit; non oppugnârit, sed defenderit; non spreverit, sed ipse imitatus sit, acutam distinctionem illam, Seneca, ut tanquam Jctorum Zoilus vapulare, minimè gentium meruerit.

LV.

Vidit & in eo, neq; nihil, neq; omnia Albericus, quod quæ contra juris scripti rationem, ob aliquam equitatem, utilitatemvè recepta sunt, ad l. non omnium. pertinere scribit. Hoc enim, ut verum sit, falsum tamen illud est, quod pro ratione adjicitur: Cùm ea à vero alieniora sint, nec certâ satis ratione stabilita. Quanam igitur præclarissimi Gentilis hac de re fuerit, vero omnium proximior sententia, cognovimus.

LVI.



## LVI.

Supereſt iſta, quam à doctiſſimo viro acceptam, ad huc quidam habent in delitiis. Nimirum, de politicis rationibus eſſe exaudiendum Julianum, in quas Jctis inquirere non ſit integrum, duplici de cauſa. Unâ, ne confundantur termini ſtudiſ politici ac juridici. Alterâ, quòd Jctis allegâſſe ſufficiat: Nam ita lex ſcripta eſt. At qui non vident, hanc opinionem tam multa peccare, ut, quid maximè, dici vix poſſit. Quocirca audiendum magis virum doctum, quàm auſcultandum cenſeo.

## LVII.

Concludamus igitur, hancce tripertita diſiſionis Tribonianeæ ſpeciem alteram, aſſertione illâ, quâ ad pellendam à cervicibus hominum injuſtitia tyrannidem, baud utilior ulla eſt, aut conducibilior magis:

Sicubi fortè jus civile perdurum eſt, pernimumq; ſeverum, & abſonans à ratione æqui boniq;:

Sicubi etiam jus Canonicum, aut Feudale, impium eſt, ac tyrannicum, barbarum, brutum, erroris abſurditatisq; plenum:

Sicubi porrò, jus Saxonicum tale eſt, quale à conſultationibus conſtitutionum Electoralium Sax. Dan. Molle- ro, Matth. Colero, Val. Franco, Hen. Gøden, Benſtioq; al- cubi eſſe dicitur: rationabile nimirum, crudele, iniquiſ- ſimum, ſaxeum, ac diabolicum:

Atq; ad extremum, ſicubi etiam ſtatuta municipalia dura reperiuntur, & ratione carentia:

Fruſtrâ hiſ omnibus ex l. non omnium. aliquem colorem aut emplaſtrum quari. Et ideò operam oleumq; perdidit inter ceteros, Gailium, Hartman, Piſtoris,

D.



D. Möllerum, Frid. Schenck, Hard. à Dassel. &c. qui id  
facere sunt conati.

LIIIX.

Restat divisionis Triboniana supra dicta pars ter-  
tia, qua de jure agit per **CONSVETUDINEM** fir-  
mato. Quod & ipsum, (siquidem nomen suum tueri vo-  
let) nec rationis expert esse potest, nec rationem vincere.  
Inde q̄ fit, ut consuetudo illa, qua rem furtivam non reddit  
domino, sed judici vendicat: item illa, qua territorij do-  
minis, aut praefecturis eorum, equos adjudicat, si auriga  
per lasciviam aut imprudentiam everterit vehiculum, &  
quassaverit hominem, vel occiderit, &c. juris auctoritatem  
habere non possint. Carent enim ratione validâ, vincun-  
tur q̄ à ratione fortissimè.

LIX.

Unde etiam rectè negatum est, errorem, licet con-  
suetudine obtentum, jus facere posse. Imò Revardus  
voluit, ut ne in eo quidem, in quo antea obtinuit, errore  
detectò, ejusmodi consuetudo amplius obtinere possit. Cu-  
jus sententia ita vera est, nisi utilitas major, aliud postula-  
verit.

LX.

Est tamen rationis, dare interdum consuetudini lo-  
cum, qua ut rationem aliam non habeat, quàm quod est  
consuetudo; injustitia tamen, aut turpitudinis macula  
nulla aspersa est. Ex quo illud praecipitur; ut Magistra-  
tus provincias urbes vè ineat, quâ parte ingredi moris est.  
Ut in adveniendò consuetas urbium prerogativas servet.  
Ut ferias secundùm morem det & consuetudinem; atque  
alia, qua Baldus scitè observavit. Et hac de postrema  
divisionis Triboniana parte pro instituti vestri ratione,

di-



dicta sufficiant. *Finiat ergo Disputationem nostram  
additamentum illud, sive*

## ΠΑΡΕΡΓΟΝ.

*Finem studiorum nostrorum esse, HOMINUM  
UTILITATEM, non ex cuiusvis affectu aut libidine,  
sed justo ac honesto estimandam. Cum hoc igitur sine  
quicquid consentit, id tenendum esse atq; amplectendum;  
contrà, quicquid dissentit, vituperandum atq; fugien-  
dum.*

*Dissentiunt autem cum in SCHOLIS, tum in  
FORO, numero non pauca.*

*Ut IN SCHOLIS: Studium eorum, qui (ut ait Se-  
neca) non vitæ discunt, sed scholæ, multamq; operam in  
res difficiles ponunt, & obscuras, easdemq; non necessa-  
rias.*

*Deinde eorum, qui non tam veri & justî tuendi aut  
inquirendi, quàm ostentandi acuminis ingenii gratiâ are-  
nam in disputatoriam descendunt, pro Injustitia non mi-  
nus ac pro Justitia depugnare parati. Credo, ut ab  
Orco Carneades remissi esse videantur.*

*Tum etiam eorum, qui neq; ex umbratili otio ad ne-  
gotia studia sua conferunt, neq; tamen scribunt aliquid,  
quod Reipub. plus sit profuturum.*

*IN PRAXI verò eorum, qui ad agendum  
prius, quàm ad discendum veniunt.*

*Quiq; in respondendo, multa Gratiis dant, plura  
Diti. More usq; ad eò populari, ut hinc factum brocar-  
dicum: Doctori consulenti non æquè fidendum, at-  
que legenti.*

D

Nec



Nec non eorum, qui callidas commentantur, ac perniciosas cautelas. Qualis est Angeli ista, qua consulit ei, qui ob facultatum tenuitatem non invenit uxorem, ut Chirurgographum momenti magni, componi sibi curet, speciosa debitoris hypothecâ probe adornatum. Idq̄, ac si tantum habeat in nominibus, jactitet, & pertinenti ad animum suum Sempronia ostendet.

Item, quales ista Capolla atq̄ aliorum, quibus strophas docent judiciorum in diuturnum tempus protractandorum, causas vè injustas suscipiunt ac fucant.

Sed maximè etiam eorum, qui in manifesto homicidio scelere vè deprehenss, ut judicia eludant, patrocinar, quàm innocentum sanguini interemto, adesse malunt. Gravi nimirum de causa. Scilicet, ne contra sanguinem stetille videantur. Hoccinè enim est verum? Imò id causidicorum genus est pessimum, dignumq̄, cui Baldus, pro tam præclaro in Rempubl. miserisq̄ sordidatos animo, primum constituerit, optimum profectò, eaq̄ operâ dignum. Quodnam ergò?

⊖ sectilem.

— Mortiferum Prætoris, Castrice, signum.

Quapropter, vituperanda atq̄ fugienda sunt diligentissimè, hæc omnia.

EXPLICIT Disputatio ad l. non  
omnium. feliciter.

GLORIA IN EXCELSIS DEO,  
ET IN TERRA PAX.




X2617642


1017











B.I.G.

Farbkarte #13

*Pr. g. J. num. 11.*  
*43.*

1606, 1

6

ORTLEDERI,

riensis Saxonicae

ensu

IVM. XX. D.

*genuinis*

DISPUTATIO,

ntecessorum, Dn:

RI MÆO &c.

burg &c. nunc ad beatio-

te, in nutrice legum Sa-

no M. DC. VI. propa-

sa, pauculis autoris

mmutatis,

Mensis ejusdem die eodem,

no, M. DC. XXXVII.

